UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

XXVII. de Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63277

Visual Library

2. Qua pœna afficiuntur Maledici?

Jure divino antiquo blaſphemia, quæ fit verbis in Deum, morte punita fuit, ut & ex Conſtitutionibus Principum. Jure Pontificio Clerici blaſphemi deponuntur ab Ordine; laici vero incorrigibiles facti excommunicantur, aliterve puniuntur, pro perſonæ & facti qualitate, aut mulcta pecuniaria aut pœnitentia publica, aut alia arbitraria.

De Clerico excommunicato, depoſito vel interdicto miniſtrante.

TIT. XXVII.

Circa Ordines quoque Eccleſiaſticos ſunt delicta peculiaria Clericorum, ut ſi Clericus excommunicatus, depoſitus, vel interdictus in ordine ſuo miniſtret, qui hoc pacto graviter peccat.

1. Tales Clerici quomodo puniuntur?

INprimis, ſi Sacerdos aliquis, dum ſciret, etiam per rumorem tantum, ſe majori excommunicatione implicitum & monitus prius, ut deſiſtat, celebrare ac divinis ſeſe *c. 4. 5. & h. t. c. 1. v. 3. eod.*

ſeſe officiis ingerere præſumſerit, fit irregularis. Et ſi nec ſic deſiſtat, Ordinibus ſuis ſpoliatus, implorato judicis laici auxilio, in exilium mittitur.

2. Quid ſi minori tantum excommunicatione fuerit ligatus?

c. ult. h. t. Talis celebrando licet graviter peccet, non tamen fit irregularis, quo minus poſſit Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrare; ſed tantum impedit, quo minus ipſe ea percipere poſſit. Quæ eadem & in Clerico depoſito atque interdicto locum habent.

d. c. ult. Vide Covar. in c. Alma p. 1. §. 7.

De Clerico non ordinato miniſtrante.

TIT. XXIIX.

1. Quomodo punitur talis Clericus?

FIt perpetuo irregularis ad ſuſceptionem ejus Ordinis: in quo non ordinatus miniſtravit, & præterea ab Eccleſia abjiciendus ſeu excommunicandus eſt. Beneficium tamen Eccleſiaſticum ei non eſt auferendum, ut habeat, unde vivat. Hodie ex Conſtitut. Clementis VIII. quilibet non Sacerdos, dicens Miſſam aut confeſſionem Sacramentalem

c. 1. & 2. h. t. d. c. 2. An. 1601. 1. Dec.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN